



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

73. Si Presbyter chrisma dederit ad iudicium sub vertendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

tangat, aut aliquis perfidus ad Dei iudicium subvertendum subripiat. quod experimento didicimus. [*Vide Concilium Metense anni 888. cap. VI.*]

Si Presbyter chrisma dederit ad iudicium subvertendum. *Ex Capitularibus, tit. LV.*

LXXIII. Ut Presbyter qui chrisma donaverit ad iudicium subvertendum, postquam de gradu suo depositus fuerit, manum amittat. Lib. 5. Capitular. c. 55. Lex Longobardor. lib. 3. tit. 27. c. 4.

Ut nullus Presbyter pro chrisma aliquod munus det. *Ex Concilio Meldensi cap. XLV.*

LXXIV. Ut nemo Episcoporum vel quilibet minister ecclesiasticus propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuscula, quæ per ministros Episcoporum à Presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet tamen Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & venerari suos Episcopos. Burchard. lib. 5. c. 77.

Ut omnis Presbyter duas ampullas in cœna Domini ad civitatem deferat. *Ex Capitulis, tit. CLVI.*

LXXV. Ut Presbyter in cœna Domini ampullas duas secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendum vel infirmos juxta sententiam apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui pro ipso orent, Lib. 1. Capitular. c. 162. Burchard. lib. 4. c. 75. Fac. 5.